



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Thesavrvs Casvum Conscientiæ

Continens Praxim exactissimam De Censvris Ecclesiasticis, Aliisque Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

Decisiones Casvum Conscientiæ Ex Doctrina Consiliorvm Martini Ab Azpilcveta Doctoris Nauarri collectæ, & iuxta librorum iuris Canonici dispositionem in suos Titulos distributæ

Sayer, Gregory

Venetiis, 1627

Titvlvs XXII. De Procuratoribus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13903

DECISIO I. *Ex cons. 1. alias 4. de prescrip.*

1 **Q**uamuis onera, & præstationes annue, & alia servitia, que de facili solent accipi, & concedi de gratia, & liberalitate, ut est hospitatio amici, & similia, etiam tempore immemoriali solita, in debite soluta præsumuntur; Illa tamen que magna & graviora sunt, & que non facile de gratia, & liberalitate præstantur, si per tempus immemorabile sine contradicione præstita fuerint; etiam a principio accepta, & præstita fuisse aliquo bono titulo liberae donationis, vel gratiarum actionis, & recognitionis beneficii accepti, vel alia iusta de causa, & non per vim, nec metum, nec tanquam gratis, & sine obligatione præsumuntur, cum ecclesia Surtina, de caus. poss. & propr. & Inno. in c. bone, 2. de post. præ. Et eiusmodi possessio immemoralis vim constituit, & tituli habet.

DECISIO II. *Ex cons. 1. alias 6.*

2 **P**romissio quæcumque legitima, & deliberatè absque dolo, & metu facta, quamvis nuda sit, nec vlla scriptura, aut testibus probari potest; in foro conscientie servanda est; c. 1. & 3. de pact. & actionem, & ius agendi parit in foro interiori; nec vllum defectum iuris probationis defectus inducit; Et si res. solvenda alicuius momenti sit, potest is, cui promissio facta est, a Papa, vel ab ordinario Episcopo monitionem impetrare sub pena excommunicationis lata sententia; per quam omnes, qui audierunt hanc promissionem factam fuisse, reuelare compellantur, ad probandum eam fuisse factam, si opus fuerit in foro exteriori; ut colligitur ex Concl. T. in sess. 25. cap. 3. de ref. & ex c. ad nostra, de iur. et. & c. si sacerdos, de offi. ord. & sub eadem pena excommunicationis debitor ad promissum solvendum cogi potest.

DECISIO III. *Ex cons. 3. alias 5.*

3 **V**x militum potens auctoritate Regia inducere centum milites, & dare illis stipendia impensis alicuius oppidi, & conveniens cum oppidanis, ut non inducat in oppidum plures quam 80. & vere non inducit nisi 60. Sed tamen capit ab oppidanis stipendia omnium 80. peccat, & stipendium absentium acceptum iniuste de præcepto eidem Communitati, seu oppidanis restituere tenetur; cum iniuste acceptum contra voluntatem alicuius, vel de voluntate eius, sine turpitudine & peccato ipsius ex præcepto restituendum sit, ut tradit Nau. in Manua. c. 12. nu. 29. & 30. vnde cum Dax iniuste stipendium absentium accepit sine vlla turpitudine, aut peccato ipsius communitatis, eidem Communitati sic iniuste acceptum restituere tenetur.

DECISIO IV. *Ex cons. 4. alias 2. de conuers. infidel.*

4 **C**oniuces infideles infidelitate valide Matrimonium secundum eorum leges contrahentes, ad fidem conuersi cum solemnitate ecclesie iterum contrahere non tenentur, cum baptisimus legitima Matrimonia non dissoluat. Gaudemus. de diuor. & c. iam nunc, 28. qu. 1. Sin verò contrahant in infidelitate Matrimonium omnia aliqua solemnitate secundum suam legem, vel factam, ad fidem conuersi cum solemnitate Ecclesie requisita contrahere tenentur, cum regulariter quod nihil erat ante conversionem, non sit aliquid, aut validum ex sola conversione; c. Non præstat, de regul. iur. in 6. & c. ex tenore, de rescripto quod aliud est se ad fidem convertere, & aliud contrahere Matrimonium: & a separatis non recte sit illatio. l. Pa pinianus. ff. de minorib.

DECISIO V. *Ex cons. 5. alias 7.*

5 **R**egularis simplex non habens prælationem, nec administrationem non potest se ad aliquid nisi de mandato, & licentia superioris sui obligare: cum religiosus voluntatem propriam non habeat, sed solum a superioris voluntate pendente; c. quorundam, c. si religiosus, de elect. in 6. Ita vt nec per suum iuramentum validam facere potest obligationem sine superioris consensu; quandoquidem nec votum, quod magis obligat, quam iuramentum ex S. Tho. 2. 2. q. 89. ar. 8. & Nau. in Manua. c. 12. nu. 3. 2. a religio sine superioris licentia factum, firmum, aut validum sit, prout asserit idem S. Tho. q. 88. ar. 8.

DECISIO VI. *Ex cons. 6. alias 1.*

6 **D**ebitor, qui bona sua decoxit, & cui vt cognati, vel amici eius aliquam partem debitorum soluerent, maior pars creditorum remittit duas partes sibi debitorum, & pactum facit de non petendo remissa, si per postea que sita veniat ad pinguiorem fortunam, in foro conscientie nec duas illas partes sibi remissas præfatis creditoribus, ne que minori parti creditorum, que remissioni consentire noluit, restituere tenetur; cum creditorum pars maior debita in præiudicium minoris, ei qui ex inopia, vnde soluit, non habet, remittere valet; l. iurisdictionum, §. fin. & l. & suum, & l. maiorem, & l. rescriptum, ff. de pact. quamvis enim remissio partis debiti facta debitori ob timorem perdedi totum, quando debitor habet vnde soluat, vel de sua malitia nascitur ille timor, nisi pars illa eiremitteretur, obligatus est in foro conscientie restituere, quod sibi remissum est, vt ait Caiet. 2. 2. q. 62. articulo 3. Syl. verb. restitutio, 7. q. 1. & 2. & Nau. in Man. cap. 17. nu. 75. eo quod debitores in tali euentu remississe videntur ob timorem perdedi totum; secus tamen, quando ex vera debitoris inopia, & vilitate creditorum omnium remissio facta sit, tunc enim debiti remissio a maiori parte creditorum facta debitorum illum in vtroque foro liberat, etiam si postea ad pinguiorem fortunam perueniat.

TITVLVS XXII. De Procuratoribus. S. V. M. M. A. R. A. V. M.

- 1 Promissio facta a pro palmario litis illicita est.
2 Procuratorem ad exigendos reditus constituens nihil ab eo hac de causa agere potest.
3 Procurator contemplatione societatis constitutus societatem obligare valet.

DECISIO I. *Ex cons. 1. alias 4. de pactis.*

1 **P**romissio pro palmario litis aduocato facta, illicita est, nec promittentem obligat, nec aduocatus iura conscientia promissum capere potest, sed sumptibus, & salario moderato, cum aliquo palmano pro personarum qualitate temperato, contentus esse debet: l. si qui, C. de postulat. cap. arceantur, 3. q. 7. & gl. in l. sumptus, ff. de pact. præsertim, cum promissio talis de dando magno palmario in solo casu victoria, est probabiliter dare magnam occasionem tractandi causam illicitè, vt per fas, & nefas vincat, eo quod dabitur ei palmarium si vincat, non autem si vincatur, Datio autem occasio a lege prohibita, peccatum est; ex Nau. in Man. cap. 3. nu. 10. & cap. 24. nu. 25.

DECISIO II. *Ex cons. 1. alias 2. de Deposito.*

2 **P**rocuratorem ad exigendos reditus facile reuocabilis constituens, nec aliquo ei ob labores subeundis consti-

constituito salatio, nihil ab eo accipere licet, eo quod ei officium illud concedit, quamuis exinde huiusmodi procuratori aliqua redundet utilitas, ex eo quod pecunias habet paratas semper, quibus in commodum suum uti possit, donec eas Domino suo certo aliquo & statuto tempore soluere soleat: cum potius Dominus illis pro labore, opera, & industria recipiendi, custodiendi, & soluendi redditus, & pecunias illas, aliquid mercedis loco soluere teneatur, & iniustus omnino contractus est, quod operarius, ei cui operatur, aliquid soluat.

DECISIO III.

Ex cons. 3. aliis 1.

Pensionarius societatem aliquam per procuratores suos constituens, & cuiuslibet sociorum in solidum ad recipiendum pensiones quasdam sibi debitas mandatum dans, virtute cuius vnus dicte societatis eas recipit, deficiente postea societate, pensionarius præfatus pensiones de pecunijs illius societatis, & nõ de recipientis bonis sibi soluendas repetere potest, & debet, easque societas soluere tenetur; non solum quia omne æs alienum, quod manente societate contractum est, de communifoluendū est, omne aurum. ff. pro socio, & gloss. ibi, etiam si ab vno sociorum contrahatur; sed etiam quia quicquid vnus socius tanquam procurator constitutus contemplatione societatis facit, ipsam etiam societatem obligat, sicut & accipiens pecuniam ratione officij, cui præponitur, etiam præponentem obligare censetur. l. quicumque, §. non tamen, & l. fin. ff. de inst. act.

TITVLVS XXIII.

De his, quæ vi, metu & causa fiunt.

S Y M M A R I V M.

1. Papa iusta de causa, super omni iure humano dispensare potest, & sic v. Diaconus fiat miles S. Ioannis, & pugnando, & occidendo, non fit irregularis.
2. Gestæ metu, eo cessante, qui sciens illa esse nulla, exercet, ratificare videtur.
3. Ordinatus sacris metu, characterem recipit, sed continere non tenetur, & quare.
4. Matrimonium contrahere potest, qui religionem ante 16. etatis, vel Nouitiatum annum est professus.
5. Professio ab initio ob metum nulla, per actus professorum non validatur, nec tractus tempus reconualefcit.

DECISIO I.

Ex cons. 1. aliis 3.

Cum Papa super omnibus iure humano inductis, iusta de causa dispensare queat, capit. cuncta per mundum q. 9. 3. & cap. proposuit, de concess. præben. ex iusta etiam causa dispensare potest, ut ob reuerentiam, & metum parentum ordinatus Diaconus, & beneficium adeptus, eo retento, non teneatur Presbyter fieri; sed vt translatus ad Religionem S. Ioannis Ierosolimitani bella iusta, & tanquam militum ductor proprijs etiam manibus sine irregularitatis incurfione bellare possit, nec ad horas Canonicas dicendas, sed tantum ad orationes, & preces Militum S. Ioannis Ierosolymitani teneatur; præsertim, cum hæc omnia iure humano solum inducta esse constet.

DECISIO II.

Ex cons. 2. & 3. aliis 4. & 5.

Metu iusto, & cadente in virum constantem a patre Millato, etatis annum decimum sextū agens, aut decimum septimum, sacros Subdiaconatus, & Diaconatus ordines suscipiens, sed nunquam postea id vero animo ratificans, licet longo tempore taceat, & non reclamet, pu-

tans se non posse id iuste facere, quamuis etiam per metum & errorem multoties viuente patre durante eodem metu, & semel etiam post mortem eius Epistolam, aut Euangelium, citra tamen ordinis approbationem, in Ecclesia solemniter cantauerit; vxorem ducere potest, & iustam petendi, & cum eo dispensandi causam habet. Quamuis enim ordinatio illa quoad characteris impressionem tenet, eo quod, quoad id sufficit consensus etiam metu extortus, c. Maiores, §. item quaritur, de baptismo, quoad votum tamen continentie; seu obligationem ad continentiam ordini sacro annexam non valet; sed neque sic per iustum metum ordinatus, ad continentiam tenetur, c. 1. & 2. de his quæ vi, & gl. ibi. & fauent Angelus ver. ordo. 3. §. vit. Sor. 4. d. 25. q. 1. art. 2. conclu. 9. & d. 39. q. 1. ar. 3. conclu. 11. & li. 7. de iusti. q. 2. ar. 1. cum votum iusto metu factum ipso iure nullum, & irritum sit, cap. 1. de his, quæ vi, & glo. in d. c. 2. eod. tit. idemque ait. Nau. in Man. cap. 12. nu. 32. Quamuis etiam actus metu gestus expressè, & tacitè ratificari possit, immo illum metu cessante exercens ratificare videtur, si sciat illum esse nullum, & eum exercet animo reborandi, & faciendi illum de inualido ualidum; non tamen si ignorat esse inualidum, cumque exercet putans per errorem esse validum; vnde qui post mortem patris qui vim intulit actum ordinis exercet, non quidem vt ratificet actum metu gestum, sed vt satisfaciat ordinis obseruantie ad quam per errorem obligatum se putat, nullo modo ad continentiam seruandam vi illius ordinis recepti, aut exercitij actus illius tenetur, sed iustam habet causam petendi dispensationem, ex eo quod metu facta, aut ipso iure sunt nulla, aut certè rescindenda sunt. c. Abbas. & ibi gl. de his quæ vi, & Nau. in Man. prælud. 6. nu. 4.

DECISIO III.

Ex cons. 4. aliis 2.

Ordinatus Subdiaconus metu iusto, & cadente in virum constantem, & sine dispensatione vlla ducens vxorem, ex qua liberos procreat, quamuis in foro exteriori vtilis ei sit dispensatio, ne detur occasio aliquibus existimandi Matrimonium illud esse nullum, & liberos susceptos illegitimos esse, cum manifestum omnibus, sit ordine sacro insignitum non posse vxorem ducere, & si ducat, nõ valere Matrimonium, & excommunicationem incurtere Clem. 1. de consanguin. & c. ante triennium, d. 3. in foro tamen conscientie nulla absolutione, aut dispensatione indiget, sed tuta conscientia, & coram Deo iuste prædictæ vxori suæ coniuuere potest, cum quoad illud forum sit vxorẽ eius maritus, ex eo quod ordinatus metu solum ordinis characterẽ suscipit. c. Maiores, de baptismo, c. vbi ista, d. 74. ad continentiam autem non tenetur, cum votum metu factum nullum, & inualidum sit, c. 1. & 2. de his, quæ vi. In quo casu tam Episcopus sua potestate ordinata, quam Papa ipsemet, vel alius per eius commissionem, aut dispensare potest, si, & quatenus opus esset, aut declarare Matrimonium illud validum esse, & liberos ex eo susceptos vxorẽ legitimos esse.

DECISIO IX.

Ex cons. 5. aliis 9. de his, quæ vi metus, & 9. de regular.

Professio metu reuerentiali in Religione S. Ioannis Ierosolymitani, aut alia quacunque Religione ante decimum sextum etatis annum, vel ante finem anni nouitiatu facta, ipso iure nulla est, ex Concil. Tri. sess. 25. c. 15. de Reg. neque per gestationem habitus annalem validatur; & talis, vel sua sponte discedens, vel aliqua de causa a religione expulsus, licet vxorem ducere potest, nisi aliud canonicum impedimentum obstat; cum talis professio nullum inducat effectum; adeo quod neque professio facit religiosum in genere, id est, obligatum ad intrandum aliquam religionem, sicut ante Tridentinum obligabat, c. Non solum, de Regul. in 6.

C ; DE.